


**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Jacobus Lembke/ I.U.D. & Profess. Publ. Ord. Ad Exequias, quas Filiolae suae elegantissimae, nunc desideratissimae Agnethae Elisabethae Barnstorffs/ Parentes moestissimi. Hodie circa horam I. in Templo Jacobaeo paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos sedulo ac peramanter invitat : [P.P. Rostochii sub Sigillo Rector. 16. Januar. Anno MDCLXXVII.]**

Rostochii: Kilius, [1677]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746839049>


Druck Freier  Zugang





Lembke, J.,  
**in A. E. Barnstorff.**

**R. 1677.**

70







PROGRAMMA,

Quo  
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JACOBUS Lembke/

J. U. D. & Profes. Publ. Ord.

AD EXEQVIAS,

quas

*Filiolæ suæ elegantissima, nunc desideratissima*

AGNETHÆ ELISA-

BETHÆ Barnstorffæ/

Parentes mœstissimi.

*Hodie circa horam I. in Templo Jacobæo  
paratas cupiunt,*

Omnes omnium ordinum Cives Acade-  
medulò ac peramanter invitat.



ROSTOCHII,

Typis Hæred. JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

69.

**L**ochadus cuidam nunci-  
anti, quod è filiis ipsius alter in-  
teriisset: *Olim sciebam*, inquit, *illi mo-  
riendum esse.* Cùm enim nihil sub  
sole certius, magisq; cum humanitate con-  
junctum sit, quàm ut caduci corporis libe-  
rati carcerib9, morte tandem abripiamur,  
nihil illi visum est novæ rei, si mortalis na-  
tus moreretur, nec magni referre putavit,  
paulo serius, an citius vitâ decederet, cui  
omninò brevis foret decedendum. Nam ir-  
revocabilia ac immutabilia plane sunt hæc  
fata, quæ nullam moram patiuntur, hinc  
nec capitis canities, nec senium triste illo-  
rum acerbos ictus declinat, nec juventutis  
flos, nec pubescentes genæ, nec ipsius etiã  
infantiæ ploratus atq; lachrymæ lethi fal-  
cem avertunt. Uti fruges satæ quædam in  
herbam, in culmina, in aristas exurgentes  
maturescunt, & tandem metuntur, quæ-  
dam vero nondum maturæ in ipsa herba  
pereunt: ita homines in hancce miseriarū  
vallem

vallem veniunt, ut quidam in maturitate  
metantur, quidam verò in culmis, quidam  
& in ipsa herba pereant. Horum ultimo  
numero, eheu! nuper accessit elegantissi-  
ma puella **AGNETA ELISABETHA**  
**BARNSTORFF**. Illa quidem in hanc  
vitā prodiit Anni præteriti **MDCLXXVI.**  
die 20, Mensis Octobris, circa horam 6. ma-  
tutinam, Patre Virò Consultissimo ac  
Nobilissimo **DN. JOHANNE BARN-**  
**STORFIO, J. U. D. & Practico dignissimo.**  
Matre verò Fœminâ lectissima, & variis  
virtutibus, sexum illum commendantib9,  
ornatissima **ANNA MARGARETHA**  
**WILHELMINA**. Avum paternum  
habuit Virum integerrimum **DN. PE-**  
**TRUM BARNSTORFF**, Pharmacopæum  
hujus urbis peritissimum. Aviam Pater-  
nam Matronam honestissimam, jamq; ob-  
præopinatum neptis suæ obitum mœstis-  
simam **AGNETHAM SCHASSER**  
**BERG**. Avum Maternum Virum Am-  
plissi-



plissimum Nobilissimum, atq; Consultissimum DN. ALBERTUM WILLEBRANDUM, J. U. D. & Cod. Prof. famigeratissimum. Aviam Maternam, Lectissimam quondam & virtutum omnium decore eminentissimam ELISABETHAM COETHMANNI/ Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi DN. JOHANNIS COETHMANNI, Jcti celeberrimi, Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Cæsareæ & Imperialis Consistorii Comit. Sereniss. Ducis Mecklenburg, ultra 35. annos Consilarii & Cancellarii gravissimi, filiam. Proavus Paternus fuit DN. HENRICUS BARNSTORFF/ Civis eximius ac indefessus in hac urbe Negotiator. Proavia Paterna Matrona pietate aliisq; dotibus Ornatissima CATHARINA DOBERG. Proavum maternum habuit Virum Amplissimum atq; Excellentissimum DN. NICOLAUM WILLEBRANDUM, Phil. & J. U. D. Profess. hujus Universitatis, uti & Pra-


& Practicum longè celeberrimum. Pro-  
aviam maternam Matronam Spectatissi-  
mam, pariterq; Sexus sui virtutib9 insignē  
CATHARINAM HEZNE. Magnif. &  
Ampliff. Viri DN. FRIDERICI HEZNE/  
Jcti, Sereniff. Ducis Mecklenburg. Consi-  
liarii, Academiæ hujus Professoris, ac tandē  
Consulis Syndiciq; hujus urbis præclaris-  
simè meriti, filiam. Sed quamvis puellula  
hæc tam claris ac celebrib9 Majorib9 ac Pa-  
rentibus originem debuerit, quorum lau-  
datissima virtutū vestigia, Divinō auxilio,  
si ad maturiorem ætatem pervenisset, pre-  
mere potuisset, mortis tamē sævitiam mo-  
rari nullo modo potuit, sed nuperrime hu-  
jus Anni M DC LXXVII die 12. præsentis  
mensis Januarii, cum nondū quatuor men-  
ses in hoc mundi diversorio commorata  
fuisset, ex illo in cœlestem migravit patriā.  
Quod autem ob insperatum hunc atque  
præmaturum dilectissimæ filiolæ suæ obi-  
tum, dum primo matrimonii fructu se or-  
batos


batos vident, in magno mœrore ac luctu  
DNN. PARENTES verentur, quivis fa-  
cilè colligere poterit. Sed non omnem ab-  
jiciant, verùm recolligant tandem animū:  
flere quidem jubet pietas, ejulare autem  
vetat subeundæ nobis omnibus mortis ne-  
cessitas, quin & illius, quæ ultima fata im-  
plevit, felicitas. Lachrymandum est, sed ita  
ut Legis, quam Auctor Naturæ præscripsit,  
observantiam condolendo contestemur,  
nec divinæ voluntati obniti, atq; æterna  
gaudia & sempiternam quietem denatæ in-  
videre videamur. Audiatis, mœstissimi Pa-  
rentes, verba Hieronymi: *Nihil abstulit, inquit  
ille, tuum, qui dignatus est recipere proprium. Creditum  
suum decuit recipere Creditorem, & nihil aliud decet, quàm  
creditori suo, quandocunq; recipiat, gratias agere mutu-  
antem.* Hinc Davidem seqvamini qui ut lo-  
quitur Ambrosius, *moriturum filium flebat, mor-  
tuum non dolebat, flebat ne sibi eriperetur, sed flere desit  
ereptum, quem sciebat esse cum Christo.* Neq; vobis  
in mentem veniat tenella filiolæ ætas & im-  
maturus ejus obitus. Lex enim una mortis  
dicta


dicta est homini prorsus omni, licet unus  
alterum diuturniore vita superet, *parum ta-*  
*men interest, inter illum qui unum, & qui centum annos*  
*vixit, nisi quod hic, Hieronymi verbis utimur,*  
*quod etate gravior, eò peccatorum fasce gravatus magis, omni-*  
*busq; patribus suis annumeretur.* Educere ergo  
hinc animos piorum Dominus properat,  
ne fortè mundi hujus vitiis atq; sordibus  
inquinentur. Theramenes, quum in quadã  
domo versatus, inde prodiisset, illa subita-  
neo lapsu corruit, atqui cum reliqui Athe-  
nienses alii aliundè ad eum confluerent, ac  
inopinatè saluticongratularentur, ille præ-  
ter omnium spem respondit: *Nescitis viri ad*  
*quænam tempora & pericula Jupiter me servare voluerit?*  
Intellexit enim vir sapientissimus, se à mor-  
tis improbitate nequaquam tutum esse:  
quæ licet conniveat in summo vitæ peri-  
culo, attamen paulo post, cumulatis malis,  
hominem arripit in portu quasi navigan-  
tem. Nec se ipsum fefellit: nam non mul-  
to post à triginta tyrannis de medio subla-  
tus est, cicutam bibere coactus; nempe  
qui

qui ex ruinis domus liberatus, veneno turpiter perire  
coactus est. Et certe quemadmodum is Dominus  
qui servum suum citius manumittit, adeò non odisse  
intelligitur, ut potius beneficio affecerit, ita eo præcla-  
rius natura nobiscum egisse putanda est, quo festi-  
nantius nos libertatis pileò donaverit. Rosa vix pro-  
tuberans decerpta, fragrantior imò felicior est, eà quæ  
dumeris spinisq; obsita suffocatur, haud secus pro-  
fectò cum hac puella factum, quò citius etiam ipsa  
decerpitur, aut morte demitur, eo fortunatori & be-  
atorum loco ejus res sunt. Plinius de mirabili florum Vi-  
bonum natura refert, primo vere, antequam tonitrua  
audiantur, collectos nobilissimam, adversus morbos  
corporisq; quascunq; invectiones, panaceam præ-  
bere: ad eum modum recens hæc animula ante cala-  
mitatum, bellorum ac tumultuum, cervicibus nostris  
imminentium, fulgura & fulmina resecta, cœloq; in-  
fusa ab omni omnino calamitate secunda requiescit & æ-  
terna beatitudine fruitur. Qua de causa ipsi quidẽ me-  
rito gratulamur. Et cum exanime corpore, quod animu-  
læ suavissimæ domicilium præbuit, hodie hora I. pro-  
meridiana dormitorio suo sit inferendum, eà, quæ par  
est, humanitate Omnes omnium ordinũ Cives Acade-  
micos rogamus atq; invitamus, ut in honorem & solatiũ  
mœstissimorum Parentũ & memoriam Amplissimarum  
Familiarum ad funeris deductionem frequentes  
confluent ac de morte cogitent quæ adproperat, à la-  
tere, à tergo, ante est, intus est.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rector, 16. Januar. ANNO MDC LXXVII.











dicta est homini prorsus omni, licet  
alterum diuturniore vita superet,  
men interest, inter illum qui unum, & qui ce  
vixit, nisi quod hic, Hieronymi verbis  
quod atate gravior, eò peccatorum fasce gravatus  
fuitq; patribus suis annumeretur. Educ  
hinc animos piorum Dominus p  
ne fortè mundi hujus vitiis atq;  
inquinentur. Theramenes, quum  
domo versatus, inde prodiisset, il  
neo lapsu corruit, atqui cum relic  
nientes alii aliundè ad eum conflu  
inopinatè salutem congratularentur  
ter omnium spem respondit: Ne  
quænam tempora & pericula Jupiter me serva  
Intellexit enim vir sapientissimus  
tis improbitate nequaquam tu  
quæ licet conniveat in summo  
culo, attamen paulo post, cum ul  
hominem arripit in portu quasi  
tem. Nec se ipsum fefellit: nam  
to post à triginta tyrannis de me  
tus est, cicutam bibere coactus

